


*A* longo jam inde Tempore plurimum Vota eo vergebant, ut Decisiones Excelsæ Curia Regiæ, velut Fons & Principium Juris Hungarici, quibus nullus Juris Consultorum carere potest, tam ad lucrandum in Descriptionem earundem convertendum Tempus, quam & præcavendos Errores illos, qui non obstante omni Solertia per continuam Transumptionem præexistentium Exemplarium irrepere solent, Typis imprimantur. Desiderio huic satisfacere volens, ea cum Præcautione Typis vulgandis Decisionibus se accinxit Editor; quod Manuscripto Operis hujus cum Originali in Excelsa Curia Regia asservato, prius collato; illud nonnisi post obtentas super Conformitate Testimoniales; & additis pro facilitando Usu Lectorum Rubricis & Decisionibus Parenthesi inclusis Numeris, Prelo mandaverit; taliterque confectum Opus jam nunc Usibus Publici dicat

Editor.



LITERÆ DUCIS ALBERTI AD EXCELSAM CURIAM REGIAM

*Reverendissimi, Admodum Reverendi, Spectabiles ac Magnifici,  
Magnifici item Nobiles ac Egregii Domini, Amici Co-  
lendissimi!*

Quandoquidem Sua Majestas Sacratissima, mediante Benigno sub 14. Novembris 1768. ad me inviato Rescripto, ad administrationem Justitiæ tanto magis providendam, imo vero ad ipsam Tribunalium directionem, Clementer ordinare dignata est, ut omnes, quæ hactenus intervenerunt, Decisiones, seu Præjudicia Curialia, cum principalibus motivis & rationibus, per specialem eatenus ordinatam Deputationem, Comitem quippe Christophorum Niczky, cum adjunctis Antonio Vöröss & Josepho Kelcz Protonotariis, insimul colligantur, & in certas Rubricas distribuantur; Opus demum per Ipsos confectum per Septemviralem & Regiam Tabulas Judicarias insimul confessuras per partes revideatur, eumque in finem sub ipso etiam Generalium Regni Judiciorum Termino, Dominicis ac aliis Festis diebus, quibus Sessiones non celebrantur, Negotium id assumatur, & in quantum sub Termino absolvi nequiret, post finem etiam illius terminetur, ac Relatio demisse submitatur.

Hinc Clementissimam hanc Ordinationem Regiam Tabulæ huic Septemvirali finem in eum significo, quatenus Eadem cum Concursu Tabulæ Regiæ Judicariæ, ubi per præfatum Comitem Niczky eatenus requisita, & Opus Deputationis sub Directione illius elaboratum, sive in parte, sive in toto præsentatum fuerit, Sessionem Mixtam celebrare, illudque pro solido suo administrationis Justitiæ Zelo, in Benignæ hujus & tam salutaris Cæsareo-Regiæ Intentionis effectum, assumere, revidere, & cum suis, si quæ occurrerint, Reflexionibus, repræsentare velint. Quæ Prætitulatas Dominationes Vestras ad Vota propria salvas & incolumes vivere exoptans maneo

*Prætitularum Dominationum Vestrarum*

Pofonii 26. Januarii 1769.

addictissimus

Albertus m. pr.

LITERÆ CURIÆ REGIÆ AD DUCEM ALBERTUM.

*Serenissime Dux Locumtenens!  
Domine Benignissime!*

Opus Collectionis Curialium Decisionum sub Præsidio Comitis Christophori Niczky ex Benigno Suæ Majestatis Jussu continuans Deputatio, quemadmodum sub præfenti Ordinariorum Judiciorum Termino, primis statim, & successivis Confessus Nostri diebus, Partem laboris sui detulit, ita nos illam per assumptas per Eandem Deputationem in accessu operationis suæ Rubricas, partim ad Continuationem illarum, quæ jam proxime præterito Judiciorum Termino revisæ, ac per nos Serenitati Vestræ Regiæ humillime submissæ sunt, partim vero, quæ jam ad secundam Operis partem pertinent, Dominicis & Festis diebus, ut jussi sumus, revidimus, & velut ex Curialibus Decisionibus per Eandem Deputationem elaboratam Serenitati Vestræ Regiæ humillime repræsentamus. Qui Benignitati & altis Serenitatis Vestræ Regiæ Gratiis commendati perenni Venerationis Cultu perseveramus

*Serenitatis Vestræ Regiæ*

Pesthini, Die 21. Mensis Octobris,  
Anno 1769.

humillimi Capellani & Servi  
Curia Regia.